

S T U D I A

STATUS PERFECTIONIS ET SACERDOTIUM

In suo sermone d. 8 dec. 1950 ad Delegatos Congressus generalis religiosorum¹ Summus Pontifex Pius XII in id imprimis incumbit ut in claram lucem ponat et in memoriam revocet quem locum in Ecclesia Dei sortiantur status perfectionis ut tales agniti.

Illuminare circa hanc quaestionem et pane bonae tutaeque doctrinae nutrire mentes eorum qui Domini praelia proeliantur in alterutro exercitu, est vires ad unum redigere et vitare attritionem et deviationes quas necessario secumferunt doctrinales diatribae, laborantiumque omnium in vinea Domini fructus augere.

Sanctissimus Dominus Noster in primis Allocutionis sententiis², commemorat quomodo Divinus Redemptor instituerit ut Ecclesia Sua formam hierarchicae Societatis indueret, ac pro tanto inter Apostolos eorumque Successores (cum coadiutoribus et auxiliariis eorum in adimplenda Divina missione) ex una parte et simplices fideles ex altera apprime distinxit. Quacirca Regni Dei super terris structura duplici hac serie personarum constat.

Ipsam igitur ius divinum distinguit clericos a laicis (cfr. c. 107). Medius inter duas has personarum series, veluti exigente illum distinctiva verae Ecclesiae nota quae est Sanctitas, iam ab ineuntibus christianis communitatibus coepit efformari novus *modus vivendi*, individualis quidem in origine, socialis in evolutione, iuridicus in protracta aetate³, qui culmen attingit in nova specie vel categoria canonica personae, quique logice concretus fit in *condicione vitae statusque proprii* regulis subiectorum. Agitur de statu perfectionis agnito ab Ecclesia cum tota plenitudine aspectuum historicorum, qui in praesenti potest dividi in duas magnas partes, statum nempe religiosorum et statum completum perfectionis quem profitentur asseclae vel sodales Istitutorum saecularium.

¹ Cfr. « Allocuzione del Sommo Pontefice Pio XII ai Delegati del Congresso Generale dei Religiosi » (8 dic. 1950), Edizioni Paoline, Roma. Allocutio invenitur in AAS 43 (1951) 26-36 et in nostra ephemeride 24 (1951) 225-233. De hac Allocutione studium suo tempore

promissimus (p. 233).

² Cfr. « Allocuzione », p. 5.

³ Cfr. SALVADOR CANALS, *Los Institutos Seculares de perfección y apostolado*, in *Revista española de derecho canónico*, 1947 (III), p. 829; ALVARO DEL PORTILLO, *Institutos Seculares*, Roma, 1952.

Status religiosorum est certe institutum iuris ecclesiastici quamquam eius fundamenta nituntur doctrina et exemplis D. N. Jesu Christi⁴. Eius rationem essendi videre licet in causis profundis quae sanctitatem et vim sanctificatricem Ecclesiae tangunt. Eius historia — historia videlicet vitae perfectionis ut talis ab Ecclesia agnitae — semper ob oculos nobis ponit prima agmina omnium apostolicorum praeliorum — doctrinalium, charitatis, opis indigentibus ferendae, missionarium, immo militarium — quae Christi Sponsa in vita bis millenaria adorari debuit. Quae omnes rationes aliaeque quas adiungere possumus, satis explicant quare Legislator Ecclesiasticus verbis illis laudatoriis claudat canonem 487 — definientem statum religiosorum — cum affirmatur de hoc vivendae vitae evangelicae modo « ab omnibus in honore habendus est ».

Status perfectionis iuridice agnitus — adnotat in Allocutione Summus Pontifex — ideo essendi habet rationem et valorem, quia stricte connectitur fini proprio Ecclesiae adducendi homines viatores ad Sanctitatem⁵. Qua in re hoc meminisse iuvabit, quod licet quivis christianus, sub ductu Ecclesiae, iubente primo Dei mandato, absque ullo limite ut Deus ametur ex toto corde, ex tota mente et ex totis viribus⁶ vocetur ad sanctitatem, tamen animae eorum qui in Societatibus ab Ecclesia probatis per exercitium Eius magisterii et ministerii profitentur statum completum perfectionis, ad sanctitatem contendunt per iter proprium ac celsioris naturae mediis⁷ utuntur. Huiusmodi media, quae sunt Consilia Evangelica, sponte suscepta ac per vinculum in conscientia obligans facta stabilia, gignunt in illo qui profitetur ea novam obligationem tendendi ad perfectionem⁸; talis autem obligatio, cum ab Ecclesia sanciat et normis regatur in foro externo, non modo in conscientia, verum etiam iuridice profitentem afficit⁹.

Statum religiosorum, recolit Summus Pontifex, non reservatur exclusive alteri prae altera personarum serie, quae de iure divino sunt in Ecclesia¹⁰; siquidem tam clerici quam laici valent esse religiosi (can. 107 « utrique autem possunt esse religiosi »), et tam religiosus quam non religiosus patet aditus ad clericalem dignitatem. Constitutio Apostolica « Provida Mater Ecclesia » progressum fecit in hac via approximationis, et unionem possibilem reddidit non solum regularis, sed etiam saecularis vitae consecrationis Deo quam in Institutis saecularibus profitentur cum statu Sacerdotali¹¹.

⁴ « Status religiosus secundum se et quoad substantiam suam ab Ipso Iesu Christo Domino immediate traditus et institutus fuit, atque ita dici potest de iure divino esse, non praecipiente sed consulente. Haec est sententia omnium catholicorum recte sententium ». SUAREZ, *De Religiosis* tr. VII, 1-3.

⁵ Cfr. « Allocuzione », pp. 6-7.

⁶ Cfr. *Luc.*, X, 2.

⁷ Cfr. « Allocuzione », p. 6.

⁸ Cfr. *S. Th.*, II^a-II^a^e, q. 184, a. 1.

⁹ Cfr. c. 593.

¹⁰ Cfr. « Allocuzione », p. 7.

¹¹ Cfr. Const. ap. *Provida Mater Ecclesia*, art. I: « Societates clericales vel laicales... ».

Lucem meridianam quae nunc illustrat aspectum iuridicum harummet duarum canonicarum specierum, earumque ad invicem relationes, successu temporis adepta est iuris scientia, fructum progenitum ex prudenti et sapienti lege Ecclesiae. Reapse, velox historicus excursus sufficit ut innotescat quomodo lente ad modum officii Sacerdotalis cum statu perfectionis ab Ecclesia agnito rationes sint evolutae. Expressius exponere singulare hoc phaenomenon idem est ac sequi vitam perfectionis ut talem ab Ecclesia agnitam, per tam amplam multitudinem historicarum manifestationum eius, iterum luctas prae oculis habere, veluti praesentes, adhuc persentire illa quae transactorum temporum animas occupaverunt, et adesse resolvendis problematibus, quorum adhuc personat echo in historia.

Sacerdotale munus, eiusque prima per leges ordinatio, in urbes nos adducit; vita perfectionis, prius secundum quod sociale factum, dein quatenus iuridica res, nos reducit ad eremos: hi duo status, in primis historiae formis, se praebent omnino ad invicem distinctos ac propemodum oppositos.

Inde a saeculo IV, apparere timida quaedam incipiunt exempla unionis inter sacerdotium et statum perfectionis: agitur de casibus omnino singularibus, et talis unio est in forma simplicis *unionis in persona*, quae pro tanto intactam relinquit doctrinam tunc obtinentem, nec tangit iuridicam ordinationem suorum statuum, qui pro oppositis, theorice loquendo, spectantur: S. Hieronymus et S. Basilius, ex monachis presbyteri ordinati, sunt typica exempla huius phaseos doctrinalis et historicae; et in eodem sensu memoria digna est epistola S. Siricii ad Hincmerium Tarraconensem, in qua Sanctus suggerit tarraconensi Episcopo ut ad ministerium sacerdotale obeundum monachis declinet, quando clerici deficient. *Unio in persona* frequentior fit semper in linea facti et abque doctrinalibus consecrariis, durante saeculo V, auctore Sancto Augustino qui clericos colligit et, quin monachos efficiat, adducit ad vitam communem. In eadem historiae et sententiae condicionem revocant nos verba cuiusdam epistolae S. Ambrosio tributae, in qua dicitur « ipsos fecit clericos quos et monachos ».

Saeculo VI a casibus singularibus et ordinis tantum practici, qui temporis successu et necessitate rerum fiebant in dies frequentiores, gressus fit ad doctrinam; Regula Sancti Benedicti, prima inter documenta legislativa, signat figuram monachi sacerdotis, et varia capita tribuit eius vitae in monasterio ordinandae. In regulanda hac nova figura, patet monachi legislatoris cura, in id incumbens ne vita sacerdotalis influat, neque confundat characteres proprios vitae monachorum, ac proinde clericum volentem fieri monachum, iubens renuntiare apostolatui sacerdotali.

Currentibus saeculis VII et VIII phaenomenon solidatur et fit crebrius. Saeculo VIII in occasum vergente, et praesertim saeculo IX celerius duo status pergunt sociari, duabus causis fundamentalibus in id influentibus: e una parte videlicet liturgia monastica, iam complexa, quae tunc temporis ulterius

perficitur, exigit necessario ut numero plures sint monachi sacerdotes, quo melius satisfiat necessitatibus Altaris (haec eadem causa efficit ut intra monasterii septa germinet semen illud, quod apte evolutum et regulis donatum producet fratres conversos); ex altera, socialis apostolatus monachorum, qui culmen attingit et transformat iam desertas valles in communitates quae D.N. Jesum Christum amant, exigit ut adsint sacerdotes, ad ministranda sacramenta et omnia Sacerdotalia munera peragenda erga personas omnes illas quae circa monasterium vitam degunt.

Haec duae causae, annorum decursu potiores effectae, efficiunt ut minuantur duorum statuum differentiae et characteres sociantur. Adhuc tamen duobus saeculis opus erit ad hoc ut iuridice undequaque definitus evadat typus monachi parochi: medio saeculo XI, et praesertim saeculo XII, apparent Canonici Regulares, qui, sicut etiam momen pandit, plene coniungunt in sua vita statum munusque sacerdotale cum observantia regulari.

Primi hac evolutione sunt Premonstratenses — qui etiam coniunctionem hanc magis audacter operantur — connectentes vitam regularem cum munere parochiali extra communitatem exercito. Agitur adhuc — nec aliter esse posset — de fine specifico inchoato modo et stricte locali, qui tamen supponit gressum vere gigantem, si comparetur haec nova vitae regularis conceptio cum typo monastico clauso, cuius finis specificus vix potest distingui in magnitudine et splendore finis generalis.

Potest adhuc percipi echo revolutionis, quam gressus ille invexit, in pe-rampa copia operum litterariorum polemicorum, complente integrum saeculum et insuper dimidium, quae opera colligunt protestationes multorum scriptorum qui denegabant titulum religiosum — regularium — illis personis quae in vita sua coniunxerant dignitatem et functiones specificae sacerdotales cum statu regulari.

Relictis aliis exemplis Regularium qui exorti sunt saec. XIII — in quibus vita perfectionis unitur variis formis charitatis (Hospitales) vel militiae exercitio (Ordines Militares) — operae pretium erit aliquantulum studere novo motui in eodem saeculo XIII orto, qui in historia religiosae vitae profundum vestigium inuset: sunt Mendicantes, qui adhuc arctius vinculum nectunt inter Sacerdotium cum sacerdotalibus officiis et vitam perfectionis.

Opera Ordinum Mendicantium ministerium desinit esse locale et fit universale; organizatio ad centrum advocatur, et apparet nova iuridica figura provinciae religiosae; maior rigor in sequenda evangelica paupertate sancitur, vi cuius non modo physicae, sed etiam morales personae possidendi capacitate privantur. Caeterum Mendicantes colligunt germen quod iam abhinc aliquod saecula in vita monastica enatum fuerat, et adlaborant definitive ut in figuram fratrum conversorum convertatur et solidetur: quod etiam, sicut facile perspicitur, vestigium imprimit in his duobus statibus iuxtapo-nendis et coniungendis.

Clericis Regularibus exurgentibus, saeculo XVI. unio sacerdotium inter et vitam perfectionis fit arctior et frequentior: nova haec vitae perfectionis ratio constituitur per clericos qui celeriter ac paene absque contradictione fiunt Regulares. Regulares clerici vota sollemnia nuncupant; at vero nec monasticum habitum neque chorum cognoscunt, guberniumque habent internum magis ad unitatem centri redactum: agitur nempe, sicuti patet, de institutionibus valde in quamlibet partem flexibilibus, finem prosequentibus evidentius apostolicum.

Saeculo XVII primitus apparet novus motus, nonobstantibus severioribus sanctionibus quibus Pius V.^{us}¹² huiusmodi novas sociales formas vetuerat; coram habemus Congregationes Religiosas votorum simplicium, quae in sua origine nihil aliud demum sunt quam Associationes formatae a Sacerdotibus pronuntiantibus vota religiosa. Appropinquantium igitur duorum statuum processus, qui timide admodum inceperat, culmen attigit. Duo Sancti fundatores benemeritarum Congregationum Religiosarum Redemptistarum et Passionistarum aperte affirmant se nullam aliam denominationem pro propriis filiis quam clericos regulares ac protestantur si a quibusdam religiosi vocantur.

Codex Iuris Canonici, totam hanc laboriosam evolutionem recolligens, synthesi perstringit iter confectum ac definitive sancit unionem duorum statuum, data definitione ac regula novi specifici typi religionis, clericalis nempe, « *religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur* »¹³. S. P. Pius XII, gloriose regnans, pro cognitione profunda qua pollet necessitatum animarum huius temporis, in hac unificationis via vere gigantis gressum fecit, animabus patefaciens veluti novum horizontem: per Instituta saecularia possibilem reddidit vitam ministerii propriam sacerdotum saecularium et dioecesanorum coniunctam cum Statu completae perfectionis agnito ut tali ab Ecclesia.

Errat, Summus Pontifex ait¹⁴, qui considerans fundamenta a D.no N. Iesu Christo posita ad constituendam Ecclesiam, opinetur formam specificam, cleri saecularis, praecise quatenus est saecularis, esse determinatam et constabilitam a Redemptore Divino, formam autem cleri regularis, etsi habenda sit bona et valida, esse secundariam et auxiliariam prout penderet a prima. Ideo, concludit Romanus Pontifex¹⁵, prae oculis habito ordine a D.no N. Iesu Christo statuto, neutra forma propria duplicis cleri praerogativis gaudet iuris divini, cum praecise hoc ius nec anteponat neque excludat alterutram.

In quo meminisse iuvabit loca iuris canonici positivi quae Summi Pontificis sententiae suffragantur:

Can. III § 1, statuit principium fundamentale in iure canonico: non

¹² Cfr. Const. *Circa pastoralia* (29 maii an. 1566) et *Lubricum vitae genus* (17 novembris an. 1563).

¹³ Cfr. c. 488, 4^o.

¹⁴ Cfr. « Allocuzione », p. 7.

¹⁵ Cfr. « Allocuzione », p. 7.

dari in Ecclesia clericos vagos vel acephalos (« clerici vagi nullatenus admitantur »), qui videlicet non inserantur corpori hierarchico insertione vitali et foecunda, quae dupliciter fit, iuxta idem ius canonicum. Idem enim canon, principium relatum positive enuntians, ita sancit: « *quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi, vel alicui religioni adscriptum* ». Quibus verbis, uti videre licet, legislator ecclesiasticus utrumque clerum aequo gradu ponit, quatenus clero pertinere quis potest, ait legislator, aequo iure vel per incardinationem alicui Dioecesi, vel per adscriptionem alicui Religioni.

Haec autem aequiparatio, sensu mox exposito, inter Dioecesim et Religionem, practice confirmatur canonibus 115 et 585. Canon enim 115 affirmat professionem religiosam perpetuam¹⁶, in aliqua Religione emissam, secumferre abruptionem vinculi incardinationis, quando candidatus vitae religiosae est Sacerdos vel clericus qui per primam clericalem tonsuram alicui dioecesi incardinatus est (can. III § 2). Et adeo inter se similia sunt quae per incardinationem vel respective adscriptionem religioni importantur, ac consequenter tam impossibilia sunt duo illa vincula, ut ipso iure¹⁷ fiat eorum successio.

Ex hac aequiparatione Religionem inter et Dioecesim logice sequitur character Ordinarii — non localis sed personalis — quem ius attribuit Superioribus maioribus earum Societatum in quibus sodales profitentur statum completum perfectionis, si sint exempti¹⁸.

Talis vero character *Ordinarii personalis*, qui omnibus Superioribus maioribus dictarum Societatum competit, etsi diversimode, logice alteram et alteram amplitudinem accipit, semper ad normam iuris, pro Instituti natura: est enim completus in religionibus clericalibus exemptis, minus in religionibus *simpliciter clericalibus*, adhuc minus in laicalibus virorum, minimus vero est dictus character in religionibus mulierum.

Super has duas tam claras notiones iuridicas (aequiparationem inter Dioecesim et Religionem; characterem Ordinarii ab iure tributum Superioribus maioribus) fundatur et solidatur *Hierarchia personalis*, quae cum *Hierarchia territoriali* unitur in unico capite Romano Pontifice, cui « *religiosi omnes tamquam supremo Superiori... oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae* »¹⁹.

Ideoque quando quidam, parum iuridice et parum obiective, premunt

¹⁶ Sufficit, e contra, professio temporanea ad hoc ut, recepta Tonsura, religiosus clericus Religioni adscribatur. Cfr. c. 964, 2^a, 4^o.

¹⁷ Cfr. c. 585: « *professus a votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus amittit ipso iure propriam quam in saeculo habebat dioecesim* ».

¹⁸ Cfr. c. 198, § 1: « *In iure nomine Ordinarii intelliguntur... Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis* »; et c. 110: « *... proprio nomine Praelati in iure dicuntur clerici sive saeculares sive religiosi qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent* ».

¹⁹ Cfr. c. 499, § 1.

naturam pure ecclesiasticam statuum perfectionis ab Ecclesia agnitorum ac Ordinariorum personalium, qui potestate plus minusve ampla directe a Sancta Sede accepta regunt instituta, obliviscuntur declarationis illius, dogmaticae et iuridicae, quae continetur can. 108, § 3: « Ex divina institutione Sacra hierarchia ratione ordinis constat Episcopis, presbyteris et ministris, ratione iurisdictionis, pontificatu supremo et episcopatu subordinato; ex Ecclesiae autem institutione alii quoque gradus accessere ».

Ut in hierarchiam territorialem — ne loquamur de hierarchia ordinis — Ecclesiae visum est decursu temporis inserere figuram iuridicam Abatum et Praelatorum nullius « qui praesunt territorio proprio, separate ab omni dioecesi cum clero et populo »²⁰, ita in *hierarchia personali* placuit creare figuram *Ordinariorum personalium* qui Sanctae Sedis auctoritate et iuxta probatas ab Ecclesia constitutiones regunt vitam et opera — praesertim clericalia — suorum subditorum. Negare naturam hierarchicam Institutorum profitentium completam perfectionem in formis agnitis ab Ecclesia, est etiam negare principia quae regunt statum religiosorum.

Status ergo perfectionis quos agnoscit et iuridice ordinat Sancta Sedes, plene quadrant cum Catholica Hierarchia, per hierarchiam illam personalem quam voluit multis historicis et dogmaticis rationibus Romanus Pontifex a se immediate pendere: aliquomodo, pro tanto impetit Petri Primatum, si quis theorice vel in praxi abneget hanc formam hierarchiae *in capite*, et obliviscatur in suis lucubrationibus, illos omnes qui statum perfectionis profitentur, vi voti oboedientiae strictius et intimius pendere a Romano Pontifice, cui « tamquam supremo Superiori oboedire tenentur etiam vi voti oboedientiae »²¹: dependentiae quae communiter omnes ligat fideles, adiungunt specialem illam quae enascitur ex voto oboedientiae, vi cuius exurgit vinculum quoddam religionis, perfecte respondens in religionis qui sunt clerici vinculo constituto per *hierarchiam personalem*.

Quibus ex principiis, sicut S.P. adnotat, logice consequitur mutuas utriusque cleri relationes, et officia quae in opere Redemptionis debet quisque peragere, determinanda esse, ex voluntate D.N. Jesu Christi, pro temporum et opportunitatum rationibus, vel, ut Ipse S.P. dicit « si volumus expressivum cogitatus Nostrum definire, Ecclesiae decretoriis mandavit consiliis »²²

Relictis nunc aliis punctis quae tangit S.P. in Sua Allocutione Religiosis habita, opportunum nobis videtur lectores revocare ad considerandam attente quaestionem, quam audemus summi momenti definire, non modo inter iuris canonici scriptores, sed etiam in praxi vitae: loquimur de problemate exemptionis Ordinum religiosorum in specie; in genere de problemate internae autonomiae Institutorum quae profitentur vel actuant Statum perfectionis

²⁰ Cfr. cc. 319-328.

²¹ Cfr. c. 499, § 1.

²² Cfr. « Allocuzione », p. 6.

completum. Etiam quoad hoc punctum, traditionalis doctrina haud mediocriter reat obfusa, ideoque opportunum videtur relativa recollere principia et hodiernas recensere tendentias.

Audiamus ante omnia Romani Pontificis sententiam, qui doctrinae rivulum, alicubi exundantem, reducit in alveum veritatis et iuris. Neque exemptio — ait Summus Pontifex²³ — Ordinum religiosorum opponitur principiis constitutivis datis Ecclesiae a Deo neque ullatenus repugnat legi vi cuius tenetur presbyter oboedire Episcopo; iuxta normas enim iuris canonici religiosi exempti subduntur auctoritati Ordinarii loci quoad illa omnia quae exigunt exercitium dignitatis Episcopalis et quoad curam animarum. Sed etiam hoc praetermisso, in disceptationibus quae ultimis his annis obortae sunt circa exemptionem non satis consideratum est religiosos exemptos, secundum iuris canonici praescripta, semper et ubique subiacere auctoritati Romani Pontificis, quatenus est Supremus Superior, etiam vi voti oboedientiae (can. 499 § 1). Nunc autem, Summus Pontifex habet ordinariam et immediatam iurisdictionem, tam in Ecclesiam universalem, quam in unamquamque dioecesim et super omnes fideles singulariter sumptos. Patet ergo non modo sufficienter sed et scrupolose oboedientiam esse praestitam legi primariae a Deo datae, vi cuius et clerici et laici debent Episcopi auctoritati subiacere, etiam ad religiosos exemptos quod attinet et utriusque agminis clerum aequae ad amussim Christi respondere voluntati et mandato²⁴.

Iuridicus exemptionis conceptus, apud omnes vulgatus, qui a canonistis definiri solet « immunitas ab iurisdictione » duos complectitur ad aspectus quos oportet aequaliter ponderare, ne deficiens, imo et odiosa habeatur instituti huius iuridici conceptio²⁵. Exemptio habet ad aspectum quem possumus vocare *negativum*: qui si unice consideretur, potest sub luce sinistra ponere hanc canonicam figuram, quatenus dicit et secumfert iuridicam liberationem a potestate Ordinarii loci; sed cum hoc negativo considerandus et ponderandus venit *positivus* ad aspectus exemptionis, qui institutum apto loco ponit et sub vera luce praesentat: in omnibus enim rebus in quibus vel negatur, vel limitibus circumscribitur potestas Ordinarii, directe et immediate adest potestas Romani Pontificis.

Habet insuper hoc iuridicum institutum duos novos ad aspectus, vel potius duas diversas extensiones, de quibus operae pretium erit quasdam subne-

²³ Cfr. « Allocuzione », pp. 8 et 10.

²⁴ Cfr. « Ergo constat primariae a Deo latae legi, qua clerici et laici Episcopi regimini subesse debent, etiam ad religiosos exemptos quod attinet satis superque obtemperatum esse ac denique Christi voluntati et statuto utriusque militiae clerum pari respondere obsequio »: cfr.

« Allocuzione », p. 10.

²⁵ Cfr. ESCRIVÁ DE BALAGUER, *Accommodata renovatio statuum perfectionis quoad regiminis constitutionem et quoad regiminis exercitium*, in *Acta et documenta Congressus generalis de statibus perfectionis*, Romae, 1950, pp. 275-276.

ctere animadversiones, ut bene perspiciatur quid secumferant et in lucem prodeat quo doctrina hodie inclinatur et praxis Sanctae Sedis.

Quorum prior adpectum est *internus*, qui nempe hoc intendit, ut convenienter procuretur per facultates seu opportunam potestatem internam, perfecta functio munerum societatis, quae complectitur et actuat perfectionis statum.

Hanc autonomiam internam, recte conceptam et in actum deductam necessitatibus respondere vitae horum Institutorum, non est cur in dubium vertatur. Idcirco eam sanxit et sustinet ius, nec caeterum oblivioni amandandum locales auctoritates, sicut etiam vis nominis indicat, esse *locales*, terminari nempe et concludi territorio, dum societates quae statum perfectionis completam profitentur, sunt *personales*, non autem territoriales; neque illud praetermittendum, quod — sicut supra explicavimus — sacerdotes qui huiusmodi societatibus adscribuntur, potestate reguntur iure determinata, valde simili potestati in clericos dioecesanos Ordinario competenti.

Codex Iuris Canonici generaliter, probatae a Sancta Sede Constitutiones in particularibus, definiunt et stabiliunt sapienter et prudenter attributiones et limites talis internae potestatis, necessariae ad perfectum harum Societatum statum.

Exceptio, quoad hunc adpectum internum²⁶ mox declaratum in praesenti *evolvitur*, quatenus nempe hoc intenditur ut procuretur interna illa autonomia qua opus est ut Instituta possint plene proprium specificum finem in actum reducere. Doctrina et praxis, pro tanto, nunc tendunt *versus* augmentum facultatis vel summae facultatum huiusmodi, quam facultatem vel quas facultates extendere satagunt omnibus religionum formis, feminilibus non exclusis.

Adpectus exemptionis externus limitibus afficitur quoad illa omnia quae spectant ministerium territoriale et diocesanum et ipsa facta religionis interna sed influentia in ordinem publicum, qualia sunt delicata, clausura, stipis collectio aliaque. Exemptio sub hoc respectu nunc *involvitur*, et doctrina ac praxis incedunt relate ad anteriorem adpectum retrorsum²⁷.

Quisquis attente examini subiiciat complexum et intensum phaenomenon Institutorum saecularium²⁸, iuxta doctrinalem et canonicam eorum praeparationem, relate ad difficilem eorum iuridicam definitionem, (datam per constitutionem Apostolicam « Provida Mater Ecclesia » quae mirabiliter explanavit quaestiones de principiis — sive Theologiam sive Ius Canonicum spectantes — et ardua problemata artis iuridicae), denique in haud sperata

²⁶ Huiusmodi adpectus internus comprehendit speciatim gubernium, administrationem, disciplinam et expansionem. Cfr. c. 618, § 2.

²⁷ Cfr. ESCRIVÁ DE BALAGUER, *op. et*

loc. cit.

²⁸ Cfr. SALVADOR CANALS, *Los Institutos seculares de perfección y apostolado*, in *Revista española de derecho canónico*, III (1947), pp. 834-852.

foecunditate applicationis eorum, quam sapienter et prudenter dirigit competens Dicasterium Romanum²⁹, animum certe intendet in consecraria huius providae et certae legislationis Summi Pontificis gloriose regnantis, quae longe transcendunt id quod apparere potest post summarium examen, vel leviter et perfunctorie consideranti videri.

a) Et primum quidem, studia quae Constitutionem Apostolicam « Provida Mater Ecclesia » appararunt, detexerunt et in lucem posuerunt singularem defectum iuris vigentis, qui quamvis historice possit explicari, non amplius tamen potest permitti, neque sub respectu iuridico neque sub respectu legislativo: ratione prorsus contraria rationi quae obtinet quoad secundam et tertiam categoriam personarum canonicarum, religiosorum nimirum et laicorum, desiderantur in Codice Iuris Canonici, imo et in tota extensione huius iuris regulae et normae propriae quae valeant constituere Associationes clericales quae non sint regiminis, vel beneficiales et liturgicas (qualia sunt Capitula Cathedralia, Collegiata etc).

Mirum est, posse laicos, supposita videlicet approbatione et erectione ex parte Ecclesiae, constituere diversas Associationum religiosorum formas, v.g. Pias Uniones, Sodalicia, Confraternitates, Tertios Ordine³⁰, clericis vero saecularibus Codicem Iuris Canonici nullum suppeditet typum proprium Associationis, adaequatum peculiari huius vocationis et correspondentis Status iuridici naturae, quique respondeat vitae sacerdotalis exigentiis: ius canonicum autem permittit contraria nunc etiam ratione relate ad disposita ab eodem iure pro religiosis³¹, ut clerici saeculares pertineant absque ullo limite, abstractione vero facta ab eorum caractere clericali, diversis laicalium Associationum typis supra memoratis.

Constitutio Apostolica « Provida Mater Ecclesia »³² primum, dein Motus proprius « Primo Feliciter »³³ hunc defectum suppleverunt, etsi solum quoad statum completae perfectionis, siquidem praecise haec sunt praemissa theologica super quae fundatur novissimum ius Institutorum saecularium proprium.

Sacra Religiosorum Congregatio, cui Institutorum saecularium competentiam ius attribuit³⁴, ad amussim exequens Romani Pontificis conceptiones, in documentis Pontificiis de his Institutis manifestatas, dubia dissolvit quae circa quaedam puncta exorta erant, et opportunas nacta occasiones suum de Institutis saecularibus Sacerdotum criterium clare patefecit.

²⁹ Cfr. Motu proprio *Primo feliciter* (12-III-1948) et Instr. *Cum SS. mus.*, in *Acta Apostolicae Sedis*, 1948 (XL), pp. 283-293.

³⁰ In Codice non modo continentur regulae generales pro huiusmodi typis Associationum (cc. 684-694), sed etiam normae speciales pro unaquaque categoria

(cc. 700-730).

³¹ Cfr. cc. 704, 693, § 4.

³² Cfr. art. I; cfr. ALVARO DEL PORTILLO, *Institutos saeculares*, Roma, 1952.

³³ Cfr. n. 1.

³⁴ Cfr. C. A., *Provida Mater Ecclesia*, art. IV.

Optimus commentarius eorum quae exposuimus reperitur in responsione data ab hoc Sacro Dicasterio interrogationi factae ab Associatione cuiusdam dioeceseos Germaniae, quae quidem Associatio gestit fieri Institutum saeculare Sacerdotale.

En interrogationis textus: « Estne Institutum saeculare sacerdotum saecularium, qui sub Ordinarii sui auctoritate et dioecesi suae incardinati manent possibile? ».

Sacra Religiosorum Congregatio prout sequitur respondit: « Institutum saeculare cleri dioecesanii cuius membra propriae dioecesi incardinata sint et sub plena auctoritate Ordinarii dioecesana remaneant, non solum possibile ad normam Constitutionis Apostolicae "Provida Mater Ecclesia" et Motu proprio "Primo feliciter", sed laudandum et spiritui utriusque documenti apprime respondens.

« Sane, littera atque spiritus legislationis propriae Institutorum saecularium, et praesertim Motu proprio "Primo feliciter" in hoc adaequate convenit: Associatio simul ac de se bonum specimen dederit patiendum non est ut in forma communi pia Associationis remaneat sed superius ascendendo debita praescriptaque forma approbationem expostulet Instituti saecularis.

« Sacra Congregatio de Religiosis haec Instituta non solum benignis inspicit oculis, sed ex corde totisque viribus promovere intendit ».

b) Aditus per Constitutionem Apostolicam « Provida Mater Ecclesia » patefactus, qui novos eosdemque latos aperiebat horizontes, et varii opportunoque interventus (quorum unus tantum relatus est) Romani Dicasterii competentis, non mediocre anxietatem suscitaverunt inter membra Cleri Saecularis, sed et quibusdam inceptis in variis dioecesibus existentibus iuridicum ordinem possibilem fecerunt, quae hactenus non invenerant formam canonicam sibi respondentem, suique augmento faventem³⁵.

Super hanc ergo terram, pontificiis interventibus quos memoravimus paratam, ceciderunt verba plena et explicita S.P. Pii XII, contenta in Exhortatione Catholica clero missa « Menti nostrae »³⁶ quae instanter ostendunt sacerdotum et adspirantium ad Sacerdotium desideriis altiores vertices: « Eos (sacerdotes) ex ipsius altissimi muneris natura, divinitus accepti sanctitatis officio teneri semper, ubique totisque viribus assequendae ».

Phaenomenon appropinquantium invicem — prout historice raptim superius examinavimus — vitae sacerdotalis et status perfectionis quod culmen attigit, sicut etiam iam dictum est, tam iuridice quam practice in Institutis saecularibus, occasionem obtulit quam nactus S. P. finem posuit diutinis et odibilibus controversiis, hunc veluti pontem invocans, inter duos status iuridicos (sacerdotalem nempe et perfectionis) qui sunt huiusmodi providen-

³⁵ Cfr. LARRAONA, *De Institutis saecularibus*, Romae, 1951, p. 40.

³⁶ Cfr. AAS, vol. XXXIX (1950), pp. 657-702.

tialia Instituta: nam haec punctum definiunt in quod concurrere possunt absque ulla asperitate duae illae tendentiae, integris manentibus utriusque vitae forma, peculiaribus lineamentis et specifica apostolica operositate.

S.P. in Allocutione quam commentario prosequimur, taediosae diatribae finem imponit, tribuens unicuique suum, ita ut pristinam claritatem restituat doctrinae circa vexatam quaestionem, et simul viam indicat qua sacerdotes saeculares qui id cupiant, possint, sese constituere in statu perfectionis agnito ab Ecclesia, quin Sacerdotis saecularis condicionem abiudicent, immo nec externum adspicere³⁷.

³⁷ Mihi peropportuno videtur hoc loco in lucem ponere expressionem *in statu perfectionis collocari*, quia discrimen servandum est status perfectionis privataeque perfectionis. Omnes Christifideles, Ecclesiae Militantis membra, ad sanctitatem perfectionemque privatam vocantur, quia omnibus locutus est Christus dicens: « Estote perfecti sicut et Pater vester coelestis perfectus est » simulque primum maximumque mandatum fert ut omnes Deum *ex toto corde, ex tota anima, et ex totis viribus* diligant. Sacerdotem autem meminisse oportet peculiari proprioque modo se ad perfectionem privatam vocatum esse, nempe quam sacri ordinis dignitas necnon eiusdem sacerdotalis ministerii officia exigunt. Qui in statu perfectionis versantur secundum canones ab Ecclesia approbatos — cuiusmodi sunt religiones, societates institutaque saecularia — clerici sint vel laici, ad perfectionem novo sane titulo vocantur nempe status quem profitentur, propriumque cursum sequuntur id est mediorum quae evangelica consilia sunt omnibus iniuncta qui Deo sacrantur.

Dolendum sane est ad perfectionem privatam reducere id quod ad doctrinam spectat: homo — sit ille laicus, clericus vel religiosus — eiusque sanctitatis aut perfectionis privatae gradus, nos ad provinciam toto genere dissimilem ducunt a qua reverenter abstinuimus cum Gratiae Dei propria animarumque cooperationis sit: perfectio enim privata caritatis theologicae gradu metitur et voluntatis Dei perfecta executione.

Ut autem ab omni parte his qui vix

discernunt quaestiones quae ad doctrinam spectant quaeque ad personam, respondeam, peropportuno mihi videtur aliqua ex Epistula S. C. pro Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis ad Episcopum Namurgensem a. d. III Idus iulias 1952 missa, referre, quam Exc. mus Praelatus publici iuris fecit a. d. III Nonas septembres 1952: « ... Sic autem homo apud Deum tanto perfectius invenitur, quanto diligentius Dei obsequitur voluntati. Neque multum refert si laicus est vel clericus, saecularis vel regularis sacerdos ».

Pergit autem authenticum documentum « ... Minime sane sequitur quod sacerdos saecularis ad sanctitatem privatam minus ac regularis niti debeat; quodque cuiusdam iuvenis consilium de sacerdotali statu saeculari eligendo, idem sit ac consilium de privata minoris gradus perfectione profitenda ».

Mihi haec verba quae non parum lucis afferunt videntur quam maxime opportuna: monitio est ne *status cum personis* confundantur. Etenim post Constitutionem Apostolicam *Provida Mater Ecclesia* ceteraque documenta pontificia de institutis saecularibus promulgata, maxime autem post Pontificiam Allocutionem quam commentario illustramus, non defuerunt qui verborum eloquendique generis diligentissimi non fuerint: Instituta Saecularia Religionibus comparata sunt, sacerdotes saeculares his qui statum perfectionis profitentur.

Saepenumero personarum benigni tamen contestati sunt, sed fundamentum consilii vel vocationis privatae vocationem

Paucis unumquodque declarem. Circa primum quidem nihil aliud faciendum, nisi clara et exacta S.P. verba referenda, quae fideliter resonant theologorum et canonistarum de hoc problemate traditionalem doctrinam. Cum autem quaestio definitive sit resoluta, ineleganter agit sive qui callide sese abducere conatur sive qui nimis alte « mea culpa » recinit, sive demum qui proprium felicem martem in definienda quaestione glorianter nimis recolat memorat.

En S.P. verba: « Veritati absonum est asseverare clericalem statum, utpote talem et prout ex divino iure procedit, ob naturam suam vel saltem ob eiusdem naturae postulatum quoddam exposcere, ut ab eisdem sodalibus evangelica consilia serventur et hac de causa debere aut posse statum evangelicae perfectionis (acquirendae) appellari. Clericus igitur non vi divini iuris evangelicis consiliis paupertatis, castitatis, oboedientiae devincitur; ac praesertim non eodem modo devincitur eademque ratione, qua ex votis publice nuncupatis in religioso statu capessendo huiusmodi obligatio exoritur. Id autem non prohibet, quominus privatim suaque sponte clericus haec vincula suscipiat. Itidem quod Latini ritus sacerdotes sacrum coelibatum servare tenentur, inter clericalem et religiosum statum discrimen non aufert vel attenuat. Clericus vero regularis, prout est clericus, sed prout est religiosus, evangelicae perfectionis condicionem et statum profitetur »³⁸.

Hoc doctrinae puncto declarato, S.P. Sacerdotibus id optantibus offert ut possint, modo usque ad promulgatam Constitutionem Apostolicam « Provida Mater Ecclesia » ignoto, ministerium sacerdotale dioecesanum roborare et vitae perfectionis completae agnitae ab Ecclesia unire per novam iuridicam formam Institutorum saecularium. Quae unio — Romanus Pontifex affirmat — fiet quin lex divina mutetur, vi cuius debet Sacerdos suo Episcopo oboedire, nec ulla canonicarum praescriptionum quae sacerdotis dioecesani

divinam esse neglexerunt quae variis multiplicibusque circumstantiis patescit. Ex his praemissis, ut facile apparet, alia conclusio trahi non potest nisi confusio ac animarum perturbatio necnon doctrinae obscuratio quaestionibus personalibus potius quam doctrinalibus.

Opportunissime igitur epistula Congregationis pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis animadvertit « episcopos proprio iure uti si resistunt conquisitionis propagationi ex societatibus religiosis quae fundamenta theoretica parum curata et ad inducendum in errorem facilia complectunt vel in praxi parum proba, saltem, sit; vel si iisdem, amministrativo modo, iustos ac certos fines constituunt ».

Fundamenta autem parum curata ac proinde ad inducendum in errorem facilia documentum citatum enunciat in n. 1: « cum asseritur sacerdotem ad perfectionem contendentem se religiosum vel Instituti saecularis saltem sodalem fieri debet; atque si juveni, inter sacerdotium saeculare et in religionis ingressum dubitatione aestuanti hic agi de magnanimitate respondetur; cum asseritur clerum saecularem praefertentem se non satis magnanimum esse in servitium Dei ostendere; si quis etiam affirmat clerum saecularem ab Ecclesia potius « tolerari » ut malum minus, optimum vero fore si omnes sacerdotes religiosi essent ».

³⁸ Cfr. « Allocuzione », pp. 11 et 13.

vitam sub iuridico respectu regulant (...« hoc quoque nequaquam nostrae nuper allatae contradicit sententiae »)³⁹.

Novae iuridicae statuitiones, quas S.P. Pius XII in iure peculiari Institutorum saecularium consecravit, hanc unionem efficiunt possibilem: agimus praesertim de caractere sociali vel privato et agnito ab Ecclesia (non autem publico), quem ius et iurisprudencia attribuunt votis in his Institutis pronuntiat⁴⁰; et de non mutata, consequenter huic characteri, canonica condicione personae, quae eadem ac antea manet (clericus, laicus, non vero religiosus), non obstante consecratione completa; de non imposita ab iure vita communi canonica; de possibilitate regulandi evangelicam paupertatem in propriis Constitutionibus, iuxta normas traditas per Constitutionem Apostolicam « Provida Mater Ecclesia », quin membra Codicis praescriptionibus subiaceant quoad paupertatem simplicem⁴¹ etc.

Sacerdotes Dioecesani qui Institutum Saeculare ingrediuntur, non eximuntur, pro tanto, Episcopi auctoritati et sanctificantis influxui, cuius sunt et manent sacerdotes et filii. Nova eorum vocatio eos necessario impellet ut perfectius oboediant iussionibus desideriisque facilius subdantur eius qui coram illorum oculis gestit personam Ecclesiae et Divinae Ecclesiae auctoritatis.

Circa quod etiam punctum — sit venia repetitis verbis — competens Dicasterium Romanum sapienter usus est occasione harum Associationum, adspirantium ad condicionem Institutorum saecularium, ad fugandas minimas quaque umbras claritate et perspicuitati expositae doctrinae officientes.

Sacrae igitur Congregationis refertur mens de praesenti problemate, qualiter elucet in responsione cuidam Associationi huius generis:

« Regimen internum huiusmodi Institutorum saecularium apte componi possit cum auctoritate, quam Ordinarium in sacerdotibus sui cleri ad normam iuris possidet.

« Canonica oboedientia Ordinario proprio vi ordinationis praestita ex adscriptione huiusmodi Instituto nullo modo detrimentum patitur.

« Immo nihil prohibet quominus oboedientia canonica novo oboedientiae vinculo, quo sodales Instituto ligantur, confirmari valeat.

« Haec Ordinarii auctoritas intacta etiam in Institutis saecularibus iuris pontificii certo remanebit. Si ex approbandis Constitutionibus aliqua videatur limitatio apponenda, talis indubie erit atque ita ordinabitur ut conveniens Ordinarii interventus admittatur seu praevia ipsius veniae obtineatur.

« In particulari quoad limitationem facultatis Ordinarii loci disponendi pro lubitu sacerdotum sui cleri, quae ex actu nominationis ad aliquod ex muneribus regiminis interni fere necessario obvenire possent, facilis inveni-

³⁹ Cfr. « Allocuzione », p. 12.

⁴⁰ Cfr. SALVADOR CANALS, *De Institutis saecularibus: doctrina et praxis*, in *Mo-*

nitor ecclesiasticus, 1949, p. 156.

⁴¹ Cfr. LARRAONA, *op. cit.*, pp. 91-93.

retur compositionis ratio si munera ipsa praevis Ordinarii confirmationi supponerentur ».

Adlectus in agmina Instituti saecularis, sacerdos dioecesanus attendit praesertim et primum suo proprio, dioecesano Sacerdotio, ac primas partes tribuit officiis ex hoc Sacerdotio dimanantibus; sed sacerdos dioecesanus apprimè novit consecrationem animabus alicuius dioeceseos, nedum obligationes religiosas infirmit, rationem esse ob quam magis amentur vota et obligationibus attentius satisfiat; sacerdos quippe videt talia vota et obligationes esse pignora certa effundendae usque ad plenitudinem gratiae sacerdotalis⁴².

His terminis iuridicis et asceticis sunt definienda, ut penitus, qua late et profunde patent, intelligantur, verba S. P. Pii XII, in Allocutione contenta et hic inferius referenda brevibusque commentarii verbis explicanda ut respondeatur aliquomodo secundo ex argumentis superius indicatis.

S. P. incipit affirmans nullatenus praedictis de statu clericali et de statu perfectionis opponi id quod Ipse proclamaverat in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia », rationem videlicet deŕgendae vitae obtinentem in Institutis saecularibus publice esse habendum (« publico agnitum iudicio ») statum evangelicae perfectionis, quatenus eorum membra obligantur ad sequenda, determinato gradu, consilia evangelica.

« Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant ut, ad evangelicae perfectionis statum, huiusmodi vitae delectu et genere, contendant, sed tum ipsi quoque sunt in statu perfectionis acquirendae, non utpote clerici, sed utpote Saecularis Instituti gregales. Huiusmodi enim Institutum evangelica consilia, quae, religiosi status propria, ibi summa perfectione in rem deducuntur, habet sane veluti vitae rationem, cui inhaereat, ita tamen complet, ut e statu regulari non pendeat, sed per se stet in externa vitae forma ad perfectionem nuper memoratam haud necessario pertinente »⁴³.

His refertis et brevibus lineis omnia Institutorum saecularium constitutionalia elementa sunthesi perstringuntur vere magistrali: eorum iuridica natura (status completus perfectionis); condicio saecularis, imprimens eis characterem proprium et peculiarissimum; insertio in status perfectionis quos Ecclesia recognoscit⁴⁴; differentia a statu religiosorum (status iuridicus quidem perfectionis completae, sed non canonicus); et praesertim adnotatur factum canonicum fundamentale (quandoquidem completae huiusmodi consecrationis vita, non mutat canonicam personae speciem: qui sic Deo voventur, clerici vel laici manent, ut antea erant respective), quod effecit ut

⁴² Cfr. GEORGES LAMAITRE, *Sacerdoce, perfection et vœux*, Paris, 1932, p. 63 et seqq.

⁴³ Cfr. « Allocuzione », p. 13.

⁴⁴ Cfr. GUTIERREZ, *De Institutis Saecularibus*, op. cit., p. 307 et seqq.

sacerdotes saeculares possint, dum tales manent de facto et de iure, dici versari in statu completae perfectionis, non ut privatae personae, sed quatenus iuridice adsciti in statum perfectionis agnitum ab Ecclesia, et in huius generis Instituta inserti, quin nullatenus canonicum regimen status Sacerdotalis, quale consecratur in Codice, tangatur.

Summi nunc momenti est ut adnotetur, in his verbis quae finaliter exscribimus (« Nulla profecto ratio officit, quominus clerici in Saecularia Instituta coalescant ut, ad evangelicae perfectionis statum, huiusmodi vitae delectu et genere, contendant »)⁴⁵, latere arduam illam, eandemque fructum sanctitatis et apostolatus foecundam realitatem quae est vera vocatio ad statum perfectionis: vocatio, inquam illis discutienda criteriis illisque fulcienda normis, quae theologica et ascetica doctrina tam copiose suppeditant in hac provincia.

Lectoris sensui et discretioni relinquatur labor supplendi omnia, per explicationem et expressionem consecratorum quae includuntur in proposita quaestione.

Ne periculum vero subeamus construendi theoriam pulchram quidem, sed a vita reali et concreta divulsam, exponemus quomodo propositum problema comprehenderint quaedam Associationes sacerdotum dioecesanorum, qua sua vota protulerant Sacrae Congregationi competenti, petentes « nihil obstat » vel approbationem ut Institutorum saecularium. Valde opportunum arbitramur — et in animarum utilitatem cessurum — notum facere qualiter hanc quaestionem discutiendam proposuerint illae Associationes: omnes enim experientiae sigillum secumferunt ac de rebus in vita probatis loquuntur. Huius generis Institutum⁴⁶, natum et evolutum in Gallia, in primis suarum Constitutionum articulis, sequentia ponit, quae puto esse optimum eorum quae diximus commentarium.

« Vera vocatio exigit rectum et iam adultum iudicium, experimento probatum bonum sensum, characterem bonum et comem, animum satis fortem ut possit amplecti vitae religiosae sacrificia eaque in mundo complere, sincerum perfectionis desiderium, verum terrenarum rerum contemptum, humilitatem quae docilitatem et promptam Superioribus subiectionem certam faciat, praxim constantem officiorum proprii status, voluntatem paratam renuntiare omnibus et omnia sufferre ad adipiscendam perfectionem et alios in hanc viam adducendos ».

Alia Associatio, quae in eo est ut mox adprobetur, item Sacerdotum Dioecesanorum, sequentia dat criteria ad prudenter regulandam candidatorum admissionem: « In Societatem adlegi non debent illi qui admitti postulant humanis adspirationibus ducti et non habent firmum characterem;

⁴⁵ Cfr. « Allocuzione », p. 13.

⁴⁶ Cfr. « Società dei Sacerdoti del Sacro

Cuore »: cfr. *Annuario Pontificio*, 1952, p. 800.

neque pariter illi qui ostendant nimiam adhaesionem suo iudicio, qui laxitudini sint proni, spiritui independentiae et criticae, et demum illi qui videantur obnoxii scrupulis persistentibus et formis abnormibus devotionis, quae illusiones et errores secumferre possint ».

Valde exacte — et paucis multa perstringens — Fundator « Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei » clare ostendit Sacerdotes, ad hoc ut Instituto pertinere possint, duabus dotibus pollere oportere: « Vocazione divina et Studio perfectionis ».

Opportunum quoque videtur quaedam declarare pericula quae ex parum prudenti multiplicatione horum Institutorum enasci possunt, sicuti ab aliquibus Exmms Ordinariis notata sunt. Quo quidem in argumento, audiamus Exmum Episcopum qui gubernat Dioecesim Gallicam: laudata natura huius Associatione, et instanter eius precibus S. Congregationi commendatis, ut ipsa fiat per approbationem Institutum Saeculare, Exmus Episcopus possibile indicat periculum et medium facile et efficax quo in commendata Associatione vitatur. En eius verba: « Attentifs à ne pas créer un Etat dans l'Etat, ils se tiennent dans le domain surnaturel. Rien ne les distingue, ni dans leur coutume, ni dans leur rapport avec leur confrères du diocèse, ni à l'égard de l'autorité diocesaine. Pas plus qu'ils se vantent d'appartenir à la Société, pas plus s'en cachent ».

Neque desunt qui cum auctoritate et longo Sacerdotalis et religiosae vitae experimento, pericula produnt quae enascerentur ex nimia divisione seu multiplicatione vel particularismo seu « localismo » exaggerato horum Institutorum. Opus est — alius Exmus Praelatus dicit — « societatibus interdioecesanis, ut obtineatur spiritus generalis, ventus qui ex verticibus spirat, salubrior spiritu locali, pro regionum diversitate diverso ».

Neque obliviscendum quod si Motus Proprius « Primo feliciter »⁴⁷ admittit Institutorum proprie saecularium et dioecesanorum formas foederativas: « neque sunt illae formae reiiciendae aut despiciendae, qua confederationes fundentur et characterem localem in singulis nationibus, regionibus, dioecesibus, retinere ac moderate fovere velint »; certum est aequae has iuridicas formas permitti et favore affici debere solummodo determinato in casu: « dummodo rectus sit et catholicitatis Ecclesiae sensu informatus »⁴⁸. Canonistas certe non latet vis et sensus appositae per motum proprium conditionis, quia norunt quanti in nostro iure valeat illa particula « dummodo »⁴⁹.

Addendum nunc modo hoc: Sacrae scilicet Congregationi Religiosorum logice applicanda esse, quoad horum Institutorum erectionis permissionem et approbationem, omnia illa de numero membrorum, Institutorum

⁴⁷ Cfr. AAS, vol. XL (1948), p. 192; cfr. ALVADO DEL PORTILLO, *Institutos Seculares*, Roma, s. d.

⁴⁸ Cfr. Motu proprio *Primo feliciter*, art. IV.

⁴⁹ Cfr. ex analogia can. 39.

identitate, specificis finibus criteria, quae collecta et in codicem redacta (per sic dictas *Normas*) vigent circa approbationem Religionum, Societatum et Institutorum.

Ius nunc vigens, post inductas innovationes per legislationem propriam Institutorum saecularium, tres admittit typos « dioecesanismi » completi cum statu perfectionis. Quorum primus est in Societatibus vitae communis sine votis, quorum constitutio et ius inveniuntur in Codice I. Can. (tit. XVII)⁵⁰. Secundus typus iuridice configuratur in Constitutione Apostolica « Provida Mater Ecclesia » et in Motu Proprio « Primo feliciter: Institutum saeculare Dioecesanum cum facultate foederationis. Ut ad hanc formam foederationis Institutum pertingat, opus est ut locum habeant condiciones super vias recensitae. Tertius typus constat speciali serie (categoria) membrorum, cum regulis et normis propriis, in Institutis saecularibus hierarchicis: quae membra dependentiam et canonica vincula erga Ordinarium confirmant, et ab Instituto, cum proportionata formatione, recipiunt auxilia intellectualia et spiritualia, quo perfectius suam in dioecesi missionem sacerdotalem compleant⁵¹.

c) Tamquam logicum consecrarium earum quae diximus in his paginis emergit aliud quoque factum iuridicum fundamentale, quod clarius illustrare cupimus antequam claudamus hoc commentarium. Aliam magnam innovationem secum tulit Constitutio Apostolica « Provida Mater Ecclesia » ob hoc quod S. P. feliciter regnans, per hoc documentum pontificium et per motum proprium « Primo Feliciter » extendit competentiam Sacrae Congregationis Religiosorum usque ad laicos et sacerdotes dioecesanos, profitentes perfectionem secundum condiciones tales — nempe requisitas ab iure proprio Institutorum saecularium — quae faciant sic profitentes quoad substantiam, animas totaliter consecratas.

⁵⁰ In allocutione quam commentamus Summus Pontifex Instituta Saecularia tantum, ut forma eximia, tangit, ex una parte quia sodales societatis vitae communis absque votis « ad instar religiosorum vivunt », ex altera quia certe vita communis, illa integritate accepta quae ius huic societati assignat, tandem aliquando, sacerdotali ministerio peculiari ac noto sacerdotum saecularium obesse potest.

⁵¹ De quarta tandem specie loqui possumus: de Instituto scilicet saeculari hierarchico sacerdotibus saecularibus constituto. Haec forma re vera nonnulla incommoda, iuridici ac practici ordinis, habet. Eam autem in praedictam divisionem includi nolimus quia divisionis regula electa dioecesanismum plenum ponebat, quod praecise in hac quarta specie vide-

tur ab hierarchismo (interno) in discrimen, plus minusve, vocari. Antitheticae, aliquo sensu, sunt haec notiones: quod enim hic in hierarchismo (interno) proficitur in dioecesanismo deperditur.

Optima nobis videtur tertia solutio ex iis quae textus praebet: i.e. specialis sodalium categoria in Instituto saeculari hierarchicae formae. Prout enim specialis ordo, pars scilicet Instituti saecularis hierarchicae formae, hi sodales omnia emolumenta habent quae ex hac iuridica modalitate, quod attine ad formationis auxilia necnon ad apostolatus auxilia, emanant; prout vero conventus, regulis iurisque propriis, se, omnibus exigentiis dioecesanismi satisfaciens, constituere potest.

Novus hic iuridicus conspectus quem contemplamur, multorum canonicarum menti et haud paucorum praelatorum Curiae, necessitatem vel convenientiam suggestit immutandi nominis huius Dicasterii Romani ita ut plene hanc novam et vitam realitatem iuridicam reflectat. Et forsitan primum gressum huc versus fecit nomen quo designatus est conventus Romae habitus, cui coronam imposuit Sermo Romani Pontificis passim hic commentario explicatas: noverunt enim ii qui legunt illis tam fructuosas adunationibus studii causa celebratis nomen esse datum « Congressus statuum perfectionis ».

Nolumus autem hoc opus dimittere quin aliqua iuridica notio addatur relate ad primum saeculare Institutum, quod est « Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis et Opus Dei »⁵², quod etiam primum exhibuit definitivae approbationi Sanctae Sedis⁵³ proprium et completum Statutum — partem constituens Constitutionum eiusdem Instituti — regulis definiens iuridicam condicionem sacerdotum dioecesanorum profitentium perfectionem eosdemque Sacerdotes in Dioecesi et in Instituto apte collocans, ita ut theorice et practice ante omnia alia Instituta quaestiones solverit technicae iuridicae quas enasci faciebat expositum problema.

« Opus Dei » specificum finem⁵⁴ sibi proponit studium acquirendae in mundo perfectionis, quam promovet apostolatu etiam specifico, moderantibus et dirigentibus Constitutionibus Instituti a Sancta Sede definitive adprobatis.

Haec promotio perfectionis completae profitendae, unicuique in suo loco, in suo opere, cum suis, ita disponente Sancta Sede⁵⁵, logicam et foecundam expressionem invenit in clero dioecesano. Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis admittit in suum coetum sacerdotes dioecesanos, ut membra in eodem Instituto profitentia perfectionem completam vel incompletam ad normam Constitutionum⁵⁶. Hi Sacerdotes propriam Sanctificationem procurare student per praxim consiliorum Evangelicorum et totis viribus in clero dioecesano perfectionis vitam fovant et sensum plenae donationis et subiectionis erga Hierarchiam Episcopalem: hoc totum citra ullum propriae condicionis dioecesanae discrimen et dependentiae ab Ordinario.

Huiusmodi specifica vocatio in agminibus cleri dioecesani non modo non separat ab Ordinario, sed potius, sicut adnotare licebit, clerum ei unit

⁵² Cfr. Decretum *Primum inter* (16 iunii 1950).

⁵³ Cfr. Decretum *Primum inter*, p. 14.

⁵⁴ Cfr. *Anuario Pontificio*, 1952, p. 800.

⁵⁵ Cfr. Decretum *Primum inter*, p. 15.

⁵⁶ Cfr. ALVARO DEL PORTILLO, *Consti-*

tutio, formae diversae, institutio, regimen, apostolatus Institutorum saecularium, in Acta et documenta Congressus generalis de statibus perfectionis, Romae, 1952, vol. II, Editiones Paulinae, p. 297.

et Dioecesi et canonicam dependentiam Sacerdotis a proprio Episcopo confirmat.

Sacerdotes dioecesani qui Societati Sacerdotali Sanctae Crucis adstipulantur, respondent, in generali conspectu iuris, tertio typo *dioecesanismi* completi cum statu perfectionis quem exposuimus superius: id est constituunt specialem categoriam membrorum cum regulis et normis propriis Instituti saecularis formae hierarchicae. Quae categoria omnibus Instituti approbationibus gaudet et respectiva earum antiquitate, eodem ac « Opus Dei » spiritu informatur et membris eam cum componentibus omnia spiritualia bona et privilegia Instituti communicat.

Prout est categoria specialis, quibusdam insignitur characteribus propriis, manantibus ex peculiari membrorum Sacerdotum dioecesanorum conditione iuridica: circa quam in sequentibus pauca addemus.

Totum iuridicum huius specialis categoriae regimen informatur illo « *nihil sine Episcopo* » et ob spiritum « Opus Dei » proprium, vi cuius membra debent propriam Deo consecrationem in actum deducere unita cum personis propriae socialis conditionis et professionis, cum studio sese non distinguendi neque separandi. Qui character, in casu, necessario secumfert strictiorem cleri unionem. Sacerdotes Dioecesani Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis scripsit Fundator « Operis Dei » « a confratribus sacerdotibus nullo modo distingui velint, sed totis viribus uniri nitantur ». Cum omnibus aliis sacerdotibus dioecesanis — addit Mons. Escrivá de Balaguer in Statuto proprio istorum membrorum⁵⁷ — debent vivere cum illa fraterna charitate, quae ducat ad vitandam vel minimam divisionis umbram et ita ut « inter omnes omnino sacerdotes maximam unionem promoveant ».

Illud « *nihil sine Episcopo* » est non modo norma spiritualis, quae regulat formationem asceticam sacerdotum dioecesanorum Instituto pertinentium: est etiam *tutum criterium* spiritus qui debet animare membra; est *norma regiminis* pro Superioribus Instituti; *directrix* quoad apostolatum dioecesanum horum Sacerdotum et *generale principium* Statuti iuridici huius categoriae.

Quod quidem criterium semper adest in omnibus momentis vitae sive iuridicae sive asceticae horum Sacerdotum:

in vocatione, nam requiritur ad incorporationem candidati proprii Ordinarii licentia; et solum admitti possunt sacerdotes vel saltem ordinati in Sacris: seminaristae possunt unice esse adspirantes;

in consecratione, quia in manibus Episcopi vovent oboedientiam proprio Ordinario Dioecesano, iuxta formulam a S. Sede probatam;

⁵⁷ Cfr. art. 6, 4°.

in vita Sacerdotali, quia voti vinculo confirmant et augent oboedientiam canonicam, ab Ordinatione Sacerdotali natam;

in vita apostolica, quandoquidem obligantur ne ministerium collectivum Operis Dei exercent absque licentia et voluntate Episcopi, si forte praeiudicium esset timendum ministerio dioecesano.

Sacerdotes Dioecesani qui profitentur in Instituto completam perfectionem, cum voto oboedientiae, renuntiant, coram Episcopo, omnibus muneribus, honoribus, dignitatibus, quae habeant vel possint habere; obligantur autem ut dicta omnia munera et honores acceptent vel abdicent, prout disposuerit Ordinarius⁵⁸.

Quo etiam criterio resolvitur problema discretionis quoad incorporationem in Institutum et problema opportunitatis vitae communis talium clericorum.

Societas Sacerdotalis Sanctae Crucis, sicut Opus Dei, nullum habet secretum vel mysterium quod contegi oporteat. Sed humilitas collectiva, tam propria Spiritus Instituti⁵⁹, exigit ut, ordinariis in adiunctis, abiudicentur media sic dictae publicitatis pro multis apostolicis laboribus ab ipsa susceptis et praeferatur prudens discretio. Utrum conveniat necne discretio, te, posito quod conveniat, quousque conveniat, iuxta normam generalem Instituti, decernit exclusive in unaquaque dioecesi loci Ordinarius. Vita communis elegetur solum si id velit Ordinarius, iuxta rationem ab eo statutam, nec umquam exclusive pro membris Societatis Sacerdotalis Sanctae Crucis.

En quam discrete et quanta legislativa sapientia voluit Institutum vel umbram vitare alicuius hierarchiae contra vel extra Hierarchiam Ordinarii. Eadem etiam prudentia et tuto criterio, Constitutiones Operis Dei disponunt ut in Dioecesi vitetur quaecumque specialis hierarchia externa Instituti propria. Per hanc vocationem sola quaeritur perfectio vitae Sacerdotalis, per fidelitatem citae interiori, tenax et constans desiderium perfectionis et spiritus, zelus et criterium apostolicum.

Sacerdotes Dioecesani, demum, per votum oboedientiae Moderatoribus internis obligantur ad oboediendum in omnibus quae, salva semper oboedientia Ordinario debita, respiciunt disciplinam internam, formationem et vitam spiritualem.

SALVATOR CANALS

⁵⁸ Cfr. ESCRIVÁ DE BALAGUER, *Statutum*, art. 10, 1º.

⁵⁹ Cfr. ESCRIVÁ DE BALAGUER, *La Cons-*

titución Apostólica Provida Mater Ecclesia y el Opus Dei, Madrid, 1949, p. 22.